

221.110

OSZK

Országos Széchényi Könyvtár

OSZK

Országos Széchényi Könyvtár

400
880.

DISSERTATIO,
DE
SKUMPIA
SEU
COTINO PLANTA
CORIARIA,

Cum
Diversis Experimentis in M. Principatu
Transilvaniæ institutis

Elucubrata

à
JOANNE FRIDVALDSZKY

Societatis JESU Sacerdote.

Claudiopoli, Typis, COLL. REFORM. An. 1773.



Imprimatur,

Cibinii 24. Junii,
1773.

PIUS EPISCOPUS

mp.



Országos Széchényi Könyvtár



221110



Rhus Cotinus Coriaria
Vulgo Skumpie.





§. I.

SCOPUS ET SYSTEMA AUTHORIS.



Aturæ donorum abdita in M, Principatū Transilvaniae perlustranti fixum erat, primas eo curas vertere, unde suum Publico commodum, rei familiaris accessio, & exinde Regium promanet emolumentum.

(a): Quod ut rite fiat, nec a consuetudine gentis abhorreat, atque præter novitatis gratiam omnium impetret approbationem, solitæ commerciorum praxes, plebeae diversarum artium industriæ, et in uno triplex naturæ regnum, Animale videlicet, Lapidum, & Vegetabile momentis discutienda suis, & ad Leges Publico faciles, Oeconomiae utiles, Regi regnorum suorum Praestiti proficue constanterque gloriosas revocanda erant.

A 2

Haec

(a) Albae Juliae, ubi olim colonia Apulum dicta stetit, uti patet ex Inscriptionibus Romano-Dacicis A: 1767. à me in Lucem datis, nunc Alba-Carolina nuncupatae sequens epigraphe saxo præter geminam effigiem Geniorum incisa visitur.

NISI UTILE EST QVOD FACIMVS
STVLTA EST GLORIA.

Haec meditatus genericum totius Magni Principatus Transilvaniae Systema perspicere ante necessum habui, quam ulli me tentamini addicam, tum etiam species naturae donorum diversissimas, quibus hic Promus Conduus adfuit lustrandas esse statui, ne quod vel ceptis male vertat negotium, vel utilissima careant indagines meae autopsia.

Menti ita defixae duplex Transilvaniae situs occurrit. Montanus & Campestris, tametsi collibus iste bene multis exuberet, ideo tamen campestris audit, quod Montana Transilvaniae pars vel alpibus, vel sylvis horrescat, Campestris autem regio colles arboribus inhospitos explicet, (b) ast ne folius voluptate mentis defixus contempler isthinc juga nubes ferientia, nunc se invicem excipientia, nunc interfecantia aut amoenos positus,

(b) Multiplicia campestris Transilvaniae dona detexeram, tricenis plures fontes amarus in vicis *Czég*, *Nováj*, *Sármás*, *Bonczida* reperi quorum sales in chrysellum coactos nil differre à sole amaro sedlicensi, qualis in pharmacopoliis veniunt, professi sunt testes tentamini adhibiti *Clarissimi Medicinae Doctores D. Samuel de Pataki & de Bara* iidem quod excoxi ex aqua *Zovány* in Comitatu *Karásna* alumen adprobarunt; alii *Vicus Zovány* fontes duos perennes, alumine copioso foetos, sed & tota late vicinia, quarivuli discurrunt, in aditis pone ripis aggeribusque Carbones fossiles reperi copiosissimos, tam eximios, ut dubitaverim an hos natura, an Ars produxerit, pinci sunt, tametsi plagae illae similes neciant arbores, posset forsitan hic alumen coqui pabulum igni carbones fossiles sufficerent. Posset etiam ex argillis multo alumine turgidis apud salinas *Paraitenses*, atque alibi educi, confierique. Similiter sales amarus indigenas in usum vocare quid vetaret? Torffas etiam ubi annosi Lacus stagnant, plurimis in locis effodi, & earum species complures iis adquos adinuit, exhibui, quaedam *Hollandicis* erant suppare, singulae alendo foco peritiles. Atramentum iis in locis, ubi veterum salinae collapsae atros, pinguesque succos regerunt, copiosum visitur, symptomaticum sic dictum esse comperi, quia papyro dum illinitur, atrum colorem bimeltri spatio retinet, hoc exacto disperit, valere tamen sedimentum ejus ad axes inungendos experientia me docuit, à terreis autem particulis, quae post repetitam succussionem supernatant, sollicitè secerni debet; hujus pingvedo naturae est accidae, cui si pulvis gallarum addatur, atramentum fit scriptorium, forte si illic cisterna forederetur, ut nimirum omnis in eam pingvedo derivetur, nobilis axungia foret. Delicis istis distractus forte curiosius rudis plebeculae hortos intueor *Helianthum* de tegeo, qui apud diversos Autores his venit nominibus *Helianthum*, *Indicum tuberosum*

tus, & per apricum vallium declive, luxuriansque pianum vana solummodo intellectus delectatione pererrem decrevi utriusque regionis *την Φύσιν* quàm fit locuples, multiplex, excutiendam. Sed iterum Montanaè simul & Campestris Transilvaniæ ubertatem investigaturo phœnomenorum multiplicitas animum ita in varia distrahebat, ut memet utrique immolare idem esse censuerim, ac vado nunquam superando se se committere, alterutram igitur

sum Casp: Bauhini, Germ: Erdaëpffl. Erd: biren, Ung: Pityóka. Corona solis parvo flore tuberosa radice Tournef, sol altissimus radice tuberosa esculenta Rupp: Ex hujus tuberibus panem coxi quod experimentum Illustrissimus Baro *Voffgangus Bänssi de Losontz Excelsi Regii Gubernii Consiliarius & Commercii Prasfes* repeti fecit cura & sollicitudine *D. Joannis Filis Sedis Cibirensis Judicis* & per id temporis Societatis agriculturæ commembri, tentamine optimo cum successu repetito **DISERTATIONEM** de pane eidem societati obtuli, in qua etiã è Mirhidis radicibus panem confieri posse jam tum ostendi, plures item vegetantium species recensui, quæ panem æmulari queant, nunc etiã e Fungis, quos vulgus esculentos habet panem usui pauperum accomodum in *Hunyadensi Provincia vulgavi*. Denique cerevisiam ex Helianti tuberibus coxi, quæ ab ipso *Excellentissimo Gubernatore Regio Maria Josepho. S.R.I. Com. ab Auersperg* suam tulit adprobationem. Usus medicum tuberum Helianthi singularem esse in coecis hæmorrhoidibus, ac variis ossium fracturis aliorum experientia doctus sum. Res mira! Plebs Hilianthum serit non aliter, ac te mere projectis corticibus tuberum, & securâ plantæ, futurorum securâ tuberum, eadem subinde cum maturuerunt cupediarum loco sub cineribus assare sivevit. Ad hæc: terras multo alkali foetas in singulis ferè districtibus, quos lustravi, reperi, diversis istæ conchylis, & id genus petrefactis commixtæ sunt, conchylia hæc, & terræ, cui inhaerent, quoniam cum omni spiritu acido insigniter fermentant, calcis locum optumè subire, aut eam augere possent, anie etiã salis nitri genesin accelerarent. Soteriarum, vulgo Acidularum fortissime bullientes aquas sæpe oberavi, & animadverti? lapides illos, qui secundum aquarum fluxum è densioribus particulis seu per evaporationem, seu per præcipitationem coaluerunt, Tophos esse, tanto magis alkalinos, quanto solaribus radiis diutius peruruntur, unde mirum non est, patietinâs Tophaceas pluriùm aetatem sæculorum superare. Margacæi montes præsto sunt. Margam Societas *Anglicana* Oeconomica miris ad fumandos agros Laudibus effert, utinam nunquam satis commendanda Marga in usum vocaretur. Amiantus partim, partim Azbestus frequentissimus est, nunquid calci misceri posset, aut Gypso, quem ex Alabastro usito copiosissimum habemus ita committi, ut solidum contra incendia tectis munimen præstet? Kaly geniculatum, vulgò Salicornia Planta videlicet illa, è qua suam *Hispani* sodam adparant, quaquaversum ubi salinæ fundit, ex uberat, possunt sibi gentes è simili foenerari, quid obstat eas imitari? Tremula Typharum in Lacubus agmina me illexerunt adeò, ut ex eorum pappo seu Lanugine papyri scriptoriam confecerim, & sunt hodie, molæ papyræ quæ has

oportuniore anni tempestate consecrari fatius fore mecum definivi. Idem hoc propositum diversas apud montanam regionem Provincias objecit, aliam, quae metallis turget, aliam quae lapidescens, aut vegetabilis est, exhibuit; supervacaneum tamen esse duxi, ut metallicae intendam, quod metallurgia Transilvaniae sapientissimis polleat Praesidibus, et singulari non minus industria ac emolumento ita colatur, ut supremum ab ingenio et operis apicem attigisse videatur, deinde quod ipse in Minerologia mea copiose de his egerim. Alia igitur montanae Regionis decora exquiram oportebat, quae inter illius imprimis naturae, quam vegetantem dicimus arcana cum semper me sollicitum habebant, nunc etiam nulli parcendum operae arbitrabar, ut quid in proceris alpiibus, excelsisque montibus reperiendum esset, quod Publico foeneretur, illud propitio tandem extundam coelo.

§. 2.

ORIGO NOTITIAE DE SCUMPIA HAUSTAE.

Multis eapropter itineribus alpes nunc has quae medio M. Principatus sinu eminent, nunc illas, quae Moldaviae,

has in subsidium vocant cum projectis Lini Canabumque reliquiis. Taxus Baccata Germ: Eiben holtz Ung: Tifa fa, est non infrequens in montibus Marmatae, & illis Transilvaniae alpiibus, quae Biétricio, atque è sede Gyergyó in Moldoviam protenduntur, pro seriniariis operis est eximia, mensulae, cistae, capuli, instrumenta Mathematica ex ea consunt elegantia, compactum enim lignum polituram recipit, colore avellanam Turcicam superat, est enim dilutior, si arbor juvenis est, vetus enim nisi calce macerata, rubedinem non exerit, biennalem si secueris sanguinem stillare dices, ita interstinctis rubet venulis. Accolae ajunt in exesae carie arboris medio saepe rubellam resinam inveniri, qua ad Lanam tingendam utuntur. Maceravi paleas, rasuram Ligni Taxini in spiritu vini, sitem in Menstruo è cineribus clavellatis educto, & resinam obtinui, quae modica pice mixta ceram signatoriam Hispanicam aemulabatur. Multis officii causa ligna Taxina obtuli, arsisit omne, quidquid arculario inde opere fuit efformatum. Posset haec Biétricio, cum Samusius intumuit, in Ungariam evehi, uti frustra salium elata sunt, vel equis clitellariis è Sede Gyergyó ad Száfrégen, inde ratum ope, secundo Marusio Szegedinum usque promoveri. Non minore consideratione digna sunt ligna quercina, quibus

daviae, Valachiaeque conterminae sunt, perrepto, cum obvios forte mercatores habeo, (Armeni nuncupantur, quod eorum majores ex Armenia in Transilvaniam concesserint) ultro cirroqte data redditaque salute, cujus rei causa iter praecipitent sciscitor, reponunt: nunc sibi cum caprinis pellibus esse negotium, harum copiam legendam primum, labori subinde illi subjiciendas, quo pelles dictae Cordovan efformantur. Instabam: ane societates, & quibus in locis Tribus aliquae ad ejusmodi pelles conficiendas coa-luerint? multo plurimae inquit, ac imprimis in *Gyergyensis* provinciae Oppido celebri *Szent Miklos* nuncupato, *Elisabethopoli*, tum *Szamos-ujvarini*, atque ubi gens nostra laborum inpatiens adparandarum juxta ac venumdan-darum mercium provida excubat, ubique confortia eorum non pauca numeramus, quae diligentissimam pellibus Cordo-van perficiendis navant operam. His intellectis, animum incessit cupido methodum laboris cognoscendi, quo illi pelles Cordovan exoperantur, quid fructus inde percipi-piant?

quibus totus ab origine sua in sede *Gyergyó* sic dicta, alveus *Marusi* constitus est, nullam tamen arborem Quercum in ipsis etiam altissimis reperires montibus, cum tamen *Marusi* fundus innumeris condensatur isthic Quercubus? Incolae haec lig-na idiomate Patrio vocant *Viz-özen-fa*, Ligna Diluvii. Nigerimma sunt. Forte pos-sent Ebanum simulare? similia non quercina tantum, sed diversarum specierum lig-na è priscarum salinarum meatibus erui solent: Kolosiensium salinarum Praefectus, nunc Tordensibus praees, avitae nobilitatis D. *Josephus de Hodor*, cum haec repe-rit, me visum accersit, illicò scipiones ex eis efformari jussi, qui peculiare id ha-bebant, quod Hygrometri non vulgaris locum, obierint, sicco enim ab aere albesce-bant, imminente humore nigrescebant, aucta autem, humiditate guttas sensim sali-nas exstillabant, certius sicut ex hoc experimento independentem aëris mutationem vaticinari quam è spongia ad normam Hygroscopii adplicita. Pini tandem cedrinae non meminisse non possum: aegritudine praepedito mihi ad natalem ejus locum accedere libe-rum non erat, monstretamen causà miserat ad me fructum *Illustris Vir Franciscus Bu-dai*, *Commitatus Beregh in Ugaria Vice-Comes*, è montibus Marmatiae delatum est Lignum compactum, subolidum, subrubellum ad regulam fissile, scriniaris operis elegantè aptandum, sed ad concinnas operas juvenis non vero annosa summatum arbor.

piant? quorum merces provehant? (c) securos igitur mei jubeo Viros humanissimos (& tantæ profectò erant humanitatis, ut cum propter eluvionem aquarum molæ unius terminis arctati, salutis nostræ prospectum ire volumus, deficienti meo comœturi quas poterant supetiastulerint) polliceor etiam me nunquam pellibus istis elaborandis manus admoturum, neque promovendis mercibus obicem aliquem positurum, velint tantummodo curiositati meæ favere, atque ordine cuncta suo promere, qui videlicet pelles istæ adcrentur, quis sollicitarum operarum sit scopus?

Ad hæc, qui ætate cæteros anteibat, conclamatum esse de pellibus ingemuit, donec Valachia, Moldaviaque bellicis perstreperet tumultibus, imò futurum esse, ut Tribus hactenus coalitæ dissolvantur, vel certe cardò nimis pelles ejusmodi venundentur. Admiratus Viri candorem nondum perspicere potui, quid pelles has bella in Transalpinis oris sævientia præpedirent, difficilem quidem mihi persuadebam fore communionem vicinis cum regnis, quando tutis illic non licet esse incolis, sed nunquid inquietam patere ostia in Ungariam, atque inde merces quaversum evehi posse? Obturbavit senecio consulentem, & ductis imò de corde suspiriis exclamat: SKUMPIAM non habemus! sine qua nullæ pelles Cordovan macerari pararive queunt: hæsi elingvis, & quid sibi SKUMPIAE nomen velit meditabar; ignorantiam deinde meam fateri

COA-

(c) Natio hæc magno plebis commodo greges innumeros caprearum in Longe diffitis alit alpibus, pauperes enim Levissimo has coemunt, & bubulæ aliarumque carniarum loco utuntur, nec evastandarum à capreis sylvarum metus est, quoniam istæ extimis aluntur alpibus à quibus nullum omnino pasuorum foenus sperare liceat. Quærere forsitan non nemini arderet, quid sibi celebre apud Armenos nomen *Buzenitza* velit? est caro caprina, quam illi solaribus exsiccatam radiis individuum comitem omnium itinerum esse volunt, inde jus, inde accomodam ulla escam adparant, sed quoniam caprina pingvedo non usque gratum olet, in die verbum abiit: *Buzenitzám* olet, dum odor displicet.

coactus, ideam aliquam SKUMPIAE resciscere pertento, votis obaudiunt, & senecionem ad cuncta artis arcana promenda stimulant.

SKUMPIE inquit frutex est tres, quatuorve pedes altus, foliis subovatis, alterna ferie divisus, quæ amœnum rubentibus pediculis discriminantur, saporis aluminis instar adstringentis, quam nuspiam nostris in terris vidimus, sed prolem esse Bulgariæ, Valachiæ, Moldaviæque felicissimam probe novimus. Istâ ferventi aquæ incocta pelles nostras maceramus, secus omnem operam perdituri. O si quod propitium Numen in nostro Principatu eam indicaret! feliciores nos ipsis etiam Aurulegis existimaremus.

Prima hæc erat origo notitiæ, quam de SKUMPIA nactus sum, simul incredibilem sensi stimulum ad cuncta perrumpenda, quæ mihi spem reperiundæ SKUMPIÆ interciperent, nec enim fieri posse rebar, ut quæ plantæ in Transalpinis oris adolescent, eæ in Transilvania desiderentur. Climata (d) siquidem Valachicis, Moldavicisque familia in nostro quoque Principatu esse perspectum habui, quare indefessis agendum viribus constitueram, sed frustraneis eapropter anni unius indaginibus, quas pone Marmatiam, Moldaviamque susceperam ingemiscere coactus, ad vicinas Valachiæ Transalpinæ oras me confero.

§. 3.

INDUSTRIÆ COTINI CAUSA SUSCEPTÆ.

Est Provincia *Vajda-Hunyad* nuncupata, ob celeberrimo-

B

rimo-

(d) Climata ab alpium situ variare certum est, Anno siquidem 1729 in Provincia *Gyergyo* dicta posteaquam in vigilia S. Thomæ Apostoli, horridus ventus inexplicabilem silvis stragem intulit, ipsa calidius clima participavit aded, ut pum triticum terræ mandatam, quod antea nunquam ad maturitatem pervenit, colonis jam arideat.

rimorum Corvinatorum memoriam, & amoenissimum non minus, ac frugiferum, locupletemque situm merito inter celebriores M. Principatus Comitatus referenda. Parte ab oriente in meridiem devexa Valachiae, deflexo magis positu Banatui contermina, climate, ubi orientem, & meridiem allambit prorsus calido. Montibus ista, continuaque jugorum serie horrescit quidem, sed irriguas valles, illam cumprimis, cui Haczeg nomen est, jucundo adeo situ explicat, ut illic Cererem, Floramque suas fixisse sedes diceres, ubi autem mitioribus in declive procurrit collibus, vitiferi sunt, & quod austro continuo fere adflentur, vinum ferunt, quale ad roborandas recreandasque vires est oportunissimum, & idcirco *Oklofiense* merum toto late Principatu celebre, gustus nimirum placidi, odoris jucundi, coloris si alterutrius anni ferat ætatem, ad aureum accedentis, epotum neque caput facile tentat, neque nervos, sed concalesceto stomacho primum ad vesicam fertur. (e) Medio Comitatus sinu arx ejusdem cognominis proceram de rupe in circumsitam regionem despectat, paret illa Regi Apostolico, foeneratur eidem cum in Oppidis, vicisque, tum antiquissimis in ferrariis, quæ nunquam exhaustis mineris perstabunt, nec Sylvæ ullo defecturi ligni coedui metu venturos nepotes sollicitos habebunt, ita enim lignatio constituta est, ut ubi desiit, ibi pullulet iterum ab radicibus densissima silva, & verentibus annis necessaria ferariis ignibus pabula subministret.

Administer Domini, idemque Consiliarius Regius *Philippus de Kern*, molem sane grandem, bonorum omnium gaudio sustinet, ad hunc adventus mei & itineris in-

vesti-

(e) Quomodo vili mero tua concilietur nobilitas *Plinius Nat. Hist. L. 14. c. 6.* conjectat, id profusa in Medicos Liberalitate fieri posse de surentino quippe in Italia vino ita habet: Tiberius inquit Caesar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surentino darent, alioquin esse generosum acetum. C. Coesar, qui succedit illi, nobilem vappam nucebat.

vestigandae SKUMPIAE causa suscepti feriem defero, et mihi penitus esse pervasum declaro, in circumfritis montibus SKUMPIAM dari, tum quod Valachiae, unde ipsa afferri siveit, vicini sint, tum quod Banatui proximi, quem etiam SKUMPIA haud carere intellexeram. Diu multumque de proposito tentamine, de specie, figura, saporeque plantae Coriariae egimus, et ideam ipsius nuspian meliorem, ac ex isto viri benignissimi congressu mihi effigiaveram, ad preces subinde conversus, orare non destiti, ut si quid molestiae in perreptandis montibus intercederet illud autoritate sua, ac auxilio, seu mitigare, seu remove contendere. Vota superavit benevolentia nunquam satis praedicanda (Clusium etiam de Plantis Pannonicis ignorarem, nisi eum Illustris *Batthyanyorum* Stirps adjuvisset :) (f)

Itum ergo, & montes, vallesque cum praeterfluentium annium ripis sedulo discussae, suos Administer exploratores, meos quoque dispescui, Valacha gens rem subodorata, varias tingendi virtute praeditas herbas enumerat ostentat, partitur, nulla tamen figurae cotini affinis erat, ab arrepto idcirco scopo nil destitum, futu-

B 2

ri

(f) Sepe illud Horatii mihi in mentem venit de arte *Poëtica*. V. 21. Amphora cepit institui, currente rota, cur urceus exit: nec aliam rationem saepe reor esse, ac Moecenatum paucitatem, sed enim campestris fatigia, ut alacrius exantlem *Excellentissimus ac Illustrissimus Comes Dionysius Bauffi* L. B. de *Lofontz* *Supr: Agaz: Reg: Magist: & Provinciae Colosiensis Supremus Comes* auxiliarem ultro manum admovit, cujus auspiciis & detectos sales amarus, & Margacea tentamina gratis defero. Montanarum etiam procursum pars suum nata est Patronum *Illustrissimum* L. Baronem *Gregorium Tarotzkai Augustae Majestatis armorum Tribunalum*, qui meis indagibus adesse non detrectavit, & amoenos Carneolos; Achatas que illos, quos lapides S. *Stephani* vocamus, alios item corneos, diaphanos, coloris subcinerei ad subcaeruleum accedentis, semi-opalos etiam, sed paucos necum legere in delictis habuit. Cuneum Illustris hic vir non mediocribus impendiis effodi curavit, unde Juglandis etiam magnitudinem aequantes Granatos legit, copia horum adest in lutea gleba, numero tamen inferiores, qui colorem diaphano merasimum exhibent.

ri enim praefagus comperti, spe certa fortunam precipiebam, atque iterum repetitis Administrum precibus fatigavi, ut neque industriis, neque inpendiis faciundis parcitum velimus, dum utilissimam plantam consecuti assequamur.

Hoc opus, hoc studium, parvi properemus, et ampli,

Si Regno volumus, se nobis vivere chari.

Horat. ep. 3. v. 28.

Votorum tandem damnatur, COTINUM, SKUMPIA vulgo dictum adprehendimus. Cui novum inventum adscribendum? Administro Regio defero, notitiam omnem à se abalienat, ast, me sine subsidiariis Administrio peris, nihil omnino acturum fuisse declaro, compertum tamen omne praecelsa Viri Humanitas in me transtulit, inquit: neque per visum sibi unquam aliquid SKUMPIÆ obversatum esse, neque unquam quaesiturum fuisse, nisi me huic investigandae ultrò immolassent, sed missa mutuae humanitatis controversia, natalem plantae locum effugio,

§. 4.

NATALIS COTINI LOCUS.

Secundum vallem, quam amnis *Zlasd* interluit, vicus inter Ulm, et *Aranyos* mons nonagenis altior orgiis praecipiti horridus dorso, & pendulo de summo apice (g)
Saxo

(g) Posteaquam ad locum Natalem Contini iterum ac tertio ventum est, fama SKUMPIE rustitam plebem e proximis vicis emovit, atque uti aspera est, ita montem, saxumque de montis apice in declive propendens obsidet, vel ad nostras praepediendas operas, vel quod erat largitionem aliquam impetrandam. Terruit me illius faxi memoria *Aeneidos* L. 8. jam primum faxis suspensam, hanc aspice rupem.

Disiecta procul ut moles, desertaque montis

Stat domus, & Scopuli ingentem traxere ruinam

Hic

saxo ita affurgit, ut Solem toto fere die apricum excipiat, & radiorum calorem à proximis acceptum montibus, in se que repercussum interstitiis, cavitatibusque saxorum multo plurimis constantissime retineat, & idcirco tunc etiam præ cæteris vicinis caleat montibus, quando tandem hunc deciduæ contegunt umbræ. Singula montis latera infinitis prope lapillis strata, Fagos & Quercus in proceritatem, quam alibi adeptæ sunt adolescere vident, varia monti arbuta, & quod mirandum copia sambuci, quam Hispanicam vulgus nominat, Acer item, & Pomi præter consuetudinem minore altitudine increvere. Terra loci pingvis est, sed propter multitudinem Lapidum divisa, & in globosas ut plurimam partes discriminata. Tales scandere positus, intervalla pereptare, moliminis erat vix superandi, motum enim unum Lapidem myriades alii consecuti subruebant vestigium & conantem progredi rejiciebant, emensis tamen quaternis plus minus orgiis chara se se Cotinus attollit, arbuta totidem diceres montis lateribus horæ spatio vix emetiendis longe lateque confita, atque in ipsum cacumen rimas inter rupis de vertice pronæ serpentia. Res mira! cis montem quanta Cotini copia, tanta trans montem raritas est, nec in vicinis ullibi montibus, quos tamen & ipse diligenter perquisivi, & a fide dignis, plantamque edoctis oberrari jus-

*Hic Spelunca fuit vasto submota recessu
Semi hominis Caci. fâcies, quam diva tenebat
Solis in accessum radiis, semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.*

Nec vanus erat metus prope namque futurum erat ut famulus meus vapularet, nisi eum provida cautione dati ab Administro Regio custodes protexissent & omnem litem pollicitis optimis, propinato que mero diremissent.

fi, ullum plantæ nobilis vestigium superat. (b) Iuvat ipsam plantam effigiare.

§. 5.

COTINI NOMEN FIGURA.

Apud CL: Linæum inter Petandria Trigynia Rhus Cotinus Cotiaria. Plinius hanc diceret Cogygriam Libro enim 13. c. 22. ita habet: Similis videlicet Unedoni & Cogygriæ foliis magnitudine minor, proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum vocant) quod nulli alii arborum evenit, quoniam igitur etiam in Cotino proprietatem hanc adverti, Cogygria dici potest, quam autem Plinius L. XVI. c. 18. Cotini effigiem proponit, cum nostra non convenit, est inquit in Apennino frutex qui vocatur Cotinus ad lineamenta modo conchylii insignis. Nunquam sane colorem e Cotino nostra educere, potui lineamenti aptum, tametsi pediculi plantæ intense rubeant. Dodoneus Stirp: Hist: Pemptade Sexta L. 2. Cotinum nostram bene effigiat, & qualem artifices ardent proponit, nec effigies æri incisa, quicquam a nostra Cotino abludit, Carolus Clusius Stirp. Pann. fol. 97. Austriam cotino non carere ait, siquidem incolæ Rhois loco addenda

(b) Montes vicinos perreptanti nuntius adlabitur a Primario ferrearum officinarum Præfesto *Francisco de Kolben*, quo is suam mihi defert operam, seu novorum tentaminum instituendorum, seu reparandarum virium causa, non potuit aridere singularis humanitas, sed quoniam ea quæ ferrum adtinent in Minerologia mea recensueram, officiosissima viri humanitate fretus id unum oravi, ut quiete insuper habita, suam meæ conjungeret industriam in diversis silicibus exquirendis, aut smyride investigando, neque aliquid disiderari passus est, unde feliciter evenit, ut in montis Gillard qui a pluribus retro sæculis ferrum sufficit, vicinia, flavos silices, idest Luteo-Corneos lapides, qui chalybe percussi, copiam ignis præbent, multo plurimos detexerim, possent hi per sectorem lapidum pro fistulis sclopetariis aptari quæ methodus utique commissioni oeconomico militari proficua foret, ne cogantur aliunde petere, quod natura soli domestici ministrat. Quodsi hæc lapidum species displiceret, suppetere alii in montibus, qui cognomines *Libero Baroni Gregorio Thorotzkai* R. A. Tribuno parent, ad severam, locupletemque sele-

sanda coria eadem uterentur; iconem etiam nostræ Cotino simillimam edidit. Gens Valacha SKUMPIE vocat, quæ vox carum significat, forte illa de causa, quod grandibus fatigiis e Transalpinis oris & æris pretio non mediocri advehatur. Vulgatum hoc tota Transilvania nomen est, & cum de plantis agitur Cotinum Coriariam significat. Est vero Cotinus frutex tres quatuorve pedes altus, ramulis plurimis distinctus, e quibus amœno ordine se se excipientia pendunt folia, figuræ subovatae, tenuia, gracilia, ulmi foliis dilutius virentia, pediculi colore insigniter rubro sub æstatem turgent, pappum alit exiguis fartum seminibus, flores meam, & aliorum industriam subterfugerunt, radicibus densis, lignosisque sex digitorum profunditate subtus terram serpit.

§. 6.

SAPOR, ODOR, VIRTUS MEDICA.

Sapor foliorum æque, ac virgultorum, & ipsius decocti adstringens est, odor penetrans, tanquam aroma charum exhalat, jucunde nares vellicat, acidum latens tunc exhibet magis, cum ejus infuso, sed melius decocto, oleum tartari per deliquium, vel cineres clavellati commiscentur, candidissimum etiam quasi saponem præcipitatum præbet, materies tamen hæc per præcipitationem obtenta, cum probe ficcatur, conteriturque, in sub-

viri-

selectionem copiosi. Alterum suppar inventum fuisset smyridis, sed penitorem ejus detegendae conatum Montium Magistro *Johanni Hentballer* in rimandis montium anfractibus assiduo commendaveram, quam enim reperimus, perfectionis ejus non erat, ut opificibus sceneretur, sed mox hanc etiam detegam, cujus apud omnes eos, esset utilitas, qui nitorem metallis, lapidibus que inducere sverunt. Tertium tentamen e vallis ferrariæ Runck diestæ, cui omni adcuracione præest Leopoldus Perizhoff, antro educli stalactites erant, magnitudine sua & figura tres quatuorve pedes altos conos æmulantur polituram non recipiunt, neque sunt daphani; circulis concentricis cuspide conii ad basim parallelis discriminantur, multo Alkali turgent, aquam lapidescentem ad miraculum exhibent, sed ligna, quæ his aquis Administer Regius inponi jussit, neque sexennio ullam obduxere crustam lapideam.

virides pulveres dehiscit, experientia didici, decoctum ejus in Dyarrhæa summe proficuum esse. Jam quanta hujus in M. Principatu Transilvaniae sit necessitas depromam.

§. 7.

NECESSITAS COTINI IN M. PRINCIPATU TRANSILVANIÆ.

Armenorum Mercatorum testimonio superius recensueram, multas in M: P: Transilvaniæ coaluisse tribus ad pelles Cordovan dictas rite conficiendas, verum non Armenicæ tantum Societates, Hungarorum etiam, & Saxonum consortia sedulam pellibus istis adcurandis navant operam, ut adeo Cotini Coriariæ uti summa est utilitas, par apud omnes inveniendæ desiderium fuerit, & idcirco Cotinus e Bulgaria, Valachia, Moldaviaque per negotiatores & Valacham gentem in M. Principatum inferabatur copiose, uti vero anni tempestates sunt variæ, ita Cotinus interdum vel non adolevit feliciter, vel abundantius succrevit, unde factum, ut vel levi, vel caro venierit; quando vero hostiles impetus Transalpinas oras incurserunt, tunc aut nihil, aut perparum inferre licuit. Anno tamen 1771 non obstantibus hostilibus incursionibus quingenti triginta sex centenarii, sicuti e tricesimarum elenchis conpertum habeo in Transilvaniam illati sunt, si ergo minimum hunc invectionis arduæ numerum assumam, & libram quinque tantummodo cruciferis venundandam statuum? pendendi erunt pro quingentis triginta sex centenariis Rhenenses quater mille quadringenti sexaginta sex. Ast grosso solummodo libra venumeat, & pro quingentis centenariis bis mille quingenti floreni Rhenenses exiguntur. Sed enim numerum invectionis minimum assumpsi, certum autem est ultra bis mille centenarios Cotini exsiccatae invehî, & sæpe centenari-

narium decem et ultra florensis Rhenensibus distrahi, quæ pecunia ut nostris potius fæneretur terris, consultius est. Hem! quanta Pudlico utilitas si herba jam indigena distrahi poterit, si commercium suum multo plurimæ Tribus, Societates, Contubernia Cerdonum promovere connitentur? & quid ni connitantur? quando nullum necessarie Cotini defectum patientur.

§. 8.

A R T I S A R C A N U M .

Methodus, qua pelles Cordovan elaborantur, ita habet: Caprinæ pelles artis objectum sunt, has vulgari modo a Lana Pilisque mundatas consuunt arctissime, unico luculo ad pedem canaliculi instar aperto, cujus ope decoctum fruticis Coriariæ, seu SKUMPIE in pellem tandiu infundunt, donec intumescat fortiter, et infusa jam exuberet aqua, mox Canaliculum hunc ita constringunt, ut nullum aquae pervium foramellum supersit. Pellem ita fartam linitri lapideo indunt, proportionataque pondera superinponunt, ut sensim succus omnis Cotinius per poros exsudet, quo se penitus exerente, adparatam esse pellem definiunt, nec quicquam superesse, quam ut ipsa pauculis a foecum reliquiis perpurgetur. Et hæc nimirum est ratio cur pelles Cordovan, ceu innumeris porulis scabrescant, succus enim herbæ porulos a natura paratos dilatat simul, & friabilitatem cum ductilitate sociatam pellibus conciliat. Ita præparatæ pelles, nulla non specie coloris tingi facile possunt, color quisquis ille sit tingendo Corio aptus, eum illico pelles istiusmodi recipiunt, retinentque constantissime, recipiunt propere adeo, ut ultra paucas horas in succo colorato macerari neutiquam debeant, retinent constanter adeo, ut nisi affricu multo deteri nequeat. Permultæ sunt fateor plantarum Coriarum species, sed nulla id præstat, quod Cotinus efficit, sunt aliæ, quæ

quæ munditiem pellibus, candorem aliae, scabritiem istæ, ductilitatem etiam, et mollitiem aliquæ inducunt, Cotinus nostra singulas enarratas virtutes mire sociat quod inde evenire autumo, quoniam præter adstringendi facultatem singularem, magmatæ illo, quod superius per præcipitationem ex alkali factam decocto inesse ostendi, pelles leniendo, emolliendo, dum adstringit, emacerat, præparatque.

§. 9.

AN NOSTRA COTINUS TRANSALPINÆ
S I M I L I S.

Supra allatis rite perpensis, et utilitate, imo necessitate plantæ cognita, præstantia item, qua cæteris Coriariis superior est, perspecta, quis boni publici amans, aut providus retinendæ intra patriam pecuniæ, aut sublevandæ caritativæ sollicitus animum ad eam investigandam non adjecisset? vel ejusmodi exploratorum industriam non adjuvisset? adprobarent omnes ad quos ejus fama pervenit, ne tamen quacunque de causa mihi ipsi imponam, aut tuto satis non agam; experiundum erat, an detecta felicissime Cotinus similis virtutis sit, ac illa, quæ a Transalpinis oris ad nos adfertur. Collecta igitur folia, et tenuia virgulta in umbra ficcari, ficcata Cerdonum Magistro quem fama peritissimum vulgavit, tradi præcepi, ac iterum ad Administrum J. Dominiî conversus eundem orare non destiti, ut quod cepit opus, consumet, atque testes, quos regio vocamus tentaminis initio, decursui, finique præficiat, ne quid vel sublestæ fidei subrepat, vel calliditas tortuosa, quæ se jam tentamini miscuerat, moram injiciat; præstituti denique testes adsunt, et omni ea methodo, qualem in Transalpina SKUMPIA tenere consueverunt, caprinae pelles ternæ periculo subjiciuntur, ternas eam ob causam elaborandas suscepimus, ut subinde colorum

rum albi, rubri, nigrique diversitatem adveteremus. Cessit e voto negotium, et Magistrum artis vires plantae indigenae admirantem, quid velit, et quae ipsi de Cotino nostra sententia, edisserat? adhortamur; reponit: non tantum subparem hanc esse Transalpinæ SKUMPIÆ plantam, sed etiam superiorem, fortiorum nimirum virium non aliam esse causam reor, quam quod ipsa non multo ante decerpta, et solite exsiccata sit, illa vero, quam e Transalpinis regnis advehunt, flaccida sua disperdiderit effluvia, quare etiam plantae quantitas ex alienigena, major quam ex indigena sumenda erit. Fortunato defunctus tentamine testes literas I. Domini *V-Hunyadensis* peto, quas Excellentissimo Regio Gubernatori dicavi, & pro ea qua Excellentissimus Regius Gubernator, et Excell: ac Illustr: Consilarii in publicum feruntur cura & solitudine, conatus meos non adprobarunt tantum, sed etiam toti Comitatus Hunyadensis Dicasterio jubent nil prorsus intermitteri, quod ad hanc plantam Publico usui aptandam mage desideraretur.

§. 10.

TRANSPLANTATIONIS CURA.

Angebat me vehementer plantam hanc raram a deo esse, ut unius tantum montis terminis definiatur, nam adfitos, disfitosque montes, uti superius recensueram, incassum perlustravi, nihil usquam Cotini repertum est, unus hic mons spem omnem Cotini exhaustit, sua igitur omnes eo curas vertere contendebam, ut ejus transplantationi, & propagini consultum eam, siquidem in loco natali herbæ ob difficilem præcipitemque montis adcessum & incredibilem lapidum copiam Propagatio institui nequiret, imo, quia proceras mons arbores non fert, neque lignationi aptas, ideo tota late vicinia capreas capellasque isthuc suas agit, quæ Cotinum omnem.

omnem charissimum sibi pabulum celeriter enecant. Transplantandam igitur Cotinum suscipio, vivas radices effodi curo, & mecum Hunyadinum delatas in Suburbano spectatæ Nobilitatis Viri *Alexandri Vâlja* horto, areolis ita mando, ut toto die ab aprico foveantur sole, radices, etiam suas fibrillas possent facile, spatiosaque dilatare: curæ deinde Heri, qui & I. Domini bonorum Provvisor, rem omnem credo, nec spe mea falsus sum, adolvere præter quinas emarcidas singulæ, & raritate sua pretium Patrifamilias ad ferendam opem a natura comparatissimo dependere.

Hoc etiam periculo defunctus propagini & incremento, quale societatibus Cerdonum sceneretur insistendum esse censui, igitur præterito autumnò agrum sepibus undique cinctum, ne videlicet ab animantibus, oviculis scilicet, & capellis plantæ extirpentur, loco a præterfluente Cserna (*i*) non multum distito & ab insidiis etiam securo, favore Administri Regii non tam mihi, quam Publico commodatum obtineo, subaro, extirpo, adplano.

(*i*) Cserna provinciae Hunyad celebris fluvius, plurimum officinis ferrariis famulatur, acceptis subinde annibus Gousdia, Pestis, Zlasd auctus in marisum effunditur, hunc Aurulegi non frequentant, capto tamen didici experimento auriferum esse; piscium autem Truttarum imprimis feratior, ubi celer et limpidus decurrit.

Præter Saluberrimas aquas, quarum in Minerologia partim, partim isthic memini, nunc, dum huic opellæ elucubrandæ insisto Latex Aquillaris mihi offertur sic dictus, quod vere novo et æstate Aquillarum agmen ad eius originem balnei causa creberrime advolet, jussit hunc adferri, et omni cautione adhibita ex ipsa Scaturigine hauriri præcepit *Excel: ac Illustr. Comes Dionysius Bánffy L. Baro de Lofontz* et Provinciae Colosienfis Supremus Comes, atque uti est perspicacissimæ indagationis, subiiciendum tentamini voluit, ne tamen quicquam multiplicem suam eruditionem subterfugiat, coram, et in obtutu aquae tentamen postulat suscipi, putabat nimirum *Excel: Comes*, eo ipso, quod Aquilæ hanc adspirent, medicam aquae virtutem inesse, sed nullam ipsa passa est sui mutationem, seu Spiritus Vitrioli, seu oleum Tartari per deliquium, aut Spiritus nitri, vel Solutio sublimati ei affunderetur, nil igitur heterogenearum partium ei inesse definivimus; ad evaporationem ventum est.

no, Cotini deinde radices binis sex jugalibus (*k*) de-
ctas, diviso in areolas agro implanto eo situ, quem in
loco natali tenerant. Et hæc præterito autumnò susce-
pta fuit sollicitudo laborque. Nunc vere novo, & mayo-
rem multo copiam, & oportuniore in loco feliciter plan-
tavimus, spe optima freti apud Provisoratus officium in
Inclito Dominio Vajda Hunyadensi novum Indicem: AN-
NUISKUMPIÆREDITUS annos ex annis auctum iri. Id
bonos omnes oro, & obtestor, ut si primo statim anno Cerdo-
num Societatibus Cotinus Coriaria non adfluxerit, male non
ominentur, & cupidini moderentur suæ, si enim propiti-
um Numen aeris benignitatem indulserit, affatim exube-
rabit, & ipsæ istæ radices maxima capient incrementa;
quibus dum Publico fœneror, id unum precor, ut quo-
niam omne donum deforsum est descendens a Patre lumi-
num,

est: Sedimentum vix sensibus perceptibile præbuit; Levitatem tandem periclitamur
et reperimus Samusiensi defœcata aqua, quam inter Levissimas censemus Aquilla-
rem istam sexies vices leviozem esse. Pota adeo non imminuit adpetitum, ut exa-
cuet etiam, quicquid conclusi viscera inter aeris est, id omne disjicit, exterminat.

(*k*) Cum reditum evulsarum dives radicum præcipito, unus Comitum, Va-
lachi erant Gornik dicti, qui operam suam commodarant, me in clamat inquiring:
En! si cupis ad prodigium advertito: Montis nempe præalti latera, saxa, rupesque
sternebant, quibus a basi montis, usque medium, vestigia solearum, quales equi
deferre sverunt insculpta ita erant, tanquam molli ceræ ea impressissem. Gens va-
lacha, si qua alia, superstitionibus insveta, varia de his hariolatur, quæ fidem
superant, unde tamen origo vestigiorum repetenda sit, penitus ignoro, sunt, qui-
dem & alibi utpote in territorio Oppidi Zibo conchæ majores, quæ unguis egnorum mire
simulant, ast vestigia ista solearum ad nullam conchiliorum speciem referre novi.
Gornikoni autem ad prodigium me admonenti grates, & stipendium detuli, sed a
superstitionibus, quas ab incunabulis hausit se dedoceri passus non est. Puto traditio-
ne a Romanis accepta, quorum propago dici volunt, vanissimis hucusque superstiti-
onibus obligantur. Multa vero genti Valachæ cum Romanis communia hodie e-
tiam

num, velit eam Author naturæ facultatem mihi elargiri
qua Regis, Regniq̄ue commodis amplius consulam.

tiam esse, præter aliã testem adfero inscriptionem ad Gornikones adtinentem, in-
ventam prope Apulum nunc Albam-Carolinam.

PRO. SALUT. AUGG.
MART. CONSER.
PAEL. RUFINUS
- - - ADIUTOR
OFF. RAT. VOVIT
CORNIC PRÆF
CASTR. LEG. XIII. G.
V. L. P.

Idest: vovit cornicularius Præfetti Castrorum Legionis XIII: Geminae, cornicularii
milites nimirum beneficiarii erant Tribunorum et centurionum Hodie, Corniculariorum
Præfetus S. D. *Georgius Koller* promovendorum naturæ arcanorum
perquam sollicitus, non paucos Cornicularios curæ suæ commissos
numerat, qui diversis in Inceliti Domini V. Hunya-
densis montibus stipendia merent.

O. A. M. D. G. B. V. M. H.



OSZK

Országos Széchényi Könyvtár

OSZK

OSZK

